

stellæ ut de cælo exturbarentur? Quid mare ut tam inusitatis fluctibus ageretur? Quid creaturæ cæteræ, ut locis suis dimoverentur? Nimirum illud ipsum quod muri urbis Jericho prostrati, Jos. VI. quod pecora Amalecitarum, Reg. XV. quod serpens a Deo maledictus; quod arbores et silvæ excindi jussæ a Deo, Deuteronom. XX. Quid vero illa commeruerunt? Nihil utique nisi quod instrumenta fuerunt homini ad perpetranda gravia peccata, adeoque modo aliquo servierint ad peccandum. Eadem igitur ex causa sol induet *Saccum cilicinum* (signum pœnitentiæ) et luna vertetur in sanguinem, ut dicitur Apoc. VI. vel ut Isai. XXIV. Dicitur: *Erubescet luna et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum, quia nimirum contra Creatorem suum peccatoribus servierunt, vel quia vident hominem erubescere noluisse, ipsa ejus loco confunduntur, et erubescunt, unde S. Hieron. in prædictum locum ait: Erubescet luna et confundetur sol cernens homines, qui suo fruebantur lumine: nihil dignum Dei bonitate fecisse, qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* Hinc ergo colligi debet quantum malum sit peccatum, et quam severe puniendum, quando propter id cælum et elementa turbari, ac mundus totus demum exuri debet. Quando Holophernes cum exercitu suo descendit in campos Damasci, et succendit omnia sata, omnesque arbores et vineas fecit incidi, *Cecidit timor illius super omnes inhabitantes orbem, ut dicitur Judith II. cogitabant enim: Si ita sævit iste in res non modo innoxias, sed etiam salutare, quomodo sæviet in homines, quos perditum ac subjugatum venit? Simili modo ratiocinari possumus, si ita Deus sæviet in innoxia, imo saluberrima elementa, in amœnissimum illum solem, in pulcherrima et gratissima illa sidera, propter scelera hominum: heu quam atrociter sæviet in ipsos prævaricatores? Scimus magistratum punire aliquoties res etiam innocuas in odium nocentium. Sic Levit. XX. occidi pecus jubetur, quocum quis coierit. Et Romæ in canes animadversum est, quod, advenientibus Gallis hostibus, non oblatrassent; et quasi eorum proditori consensissent, suspensi sunt. Sed et Athenis lapides, qui cadendo hominem occidissent, exterminabantur, teste Æschine contra Ctesiphontem; ut inde ratiocinarentur homines, quantum supplicium maneret ipsos, simile quid admittentes, cum ne inanimatis quidem parceretur. Ergo ob eandem causam puniet Deus astra et elementa in odium peccati.*

VI. Monent homines ad pœnitentiam, hucque potissimum videntur hæc signa collimare. Uti enim præmisit Deus signa eversionis Jerosolymitanæ, ut converterentur ad pœnitentiam; ita

et ultimo excidio signa præmittuntur juxta id Ps. LIX. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.* Venator cum jaculo petit leporem, nullum excitat strepitum, nec minatur lepori; sed, quam maxime potest, subdole agit ut incautum feriat. Sed non ita Deus, qui *Non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur.* Idcirco crebro minatur per indicia præcedentia, antequam condemnet. Unde colligi potest, quam invito animo puniat mortales; non quod hoc affligat Deum, sed ut ponat nobis ante oculos impendens malum, quod tantum est, ut, si possibile esset, Deum ac creaturas insensibiles condolare ac lacrymari, id facerent. Itaque sicut in passione Domini elementa Christo suo creatori compati videbantur, sic etiam illis diebus compati videbuntur hominibus; et sicut illa olim arguebant Judæos obstinatos, ita arguent ista tunc omnes impœnitentes, ut qui dolere noluerunt, dolentibus licet elementis et creaturis insensatis.

Adhæc demonstrabunt media peccatoribus, quibus adhuc, si velint, salvari poterunt. Sol fiet quasi saccus cilicinus, luna sicut sanguis, stellæ cadent de cælo; itaque monebunt, ut peccatores induant cilicium pœnitentiæ, fugiant ad sanguinem Christi, id est, Sacramenta, procidant in terram per orationem, confugiant ad solem, lunam, stellas, id est, Christum, Mariam et sanctos. Quod nisi repente fecerint, noverint solem Christum mox obscurandum, et tristi vultu appariturum: lunam Deiparam non daturam amplius lumen sui patrocini: sanctos quasi stellas de cælo casuros, id est, *In diluvio aquarum multarum ad Deum non appropinquaturos seu pro nemine interventuros.*

Quamobrem, auditores, provideamus nobis de salute nostra, dum omnia adhuc suo ordine procedunt, dum adhuc sol est in signis: non expectemus tempus, quo omnia turbabuntur, et signa in sole erunt. Nunc sol est in signis, hoc est, Christus reperitur, et est in signis prædestinationis, et virtutum studiis. Nunc est in Ariete id est, misericordibus, qui lanam suam communicant pauperibus: in Tauro, id est, laboriosis, qui strenue in vinea Domini laborant: in Geminis, id est, diligentibus, et concordibus: in Cancro, id est, pœnitentibus, qui retrocedunt per emendationem vitæ: in Leone, id est, clementibus, qui parcunt prostratis et veniam poscentibus inimicis: in Virgine, id est, castitatis sectatoribus: in Libra id est, in justitiæ amatoribus et promotoribus: in Scorpione, id est, in iis qui jugiter mortificationem Jesu in corpore suo circumferunt, II. Cor. IV: in Saggiario, id est, Christi imitatoribus, qui pro signo et scopo Christum semper ante oculos habent, eoque omnes suas cogitationum, dicto-

rum, factorumque sagittas jaciunt: in Capricorno, id est, in afflictis et angustiatis, qui ut ait Apostolus ad Heb. XI. *Ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ: in Aquario, id est flentibus peccata sua: in Piscibus, id est, jejuniis. At vero tunc signa hæc erunt, in sole, hoc est, in Deo clausa; ubi sero nimis sapient Phryges, et audient dicentem sibi Deum: *Jam ostium clausum est et pueri mei mecum sunt in cubicili: non possum surgere et dare tibi; panem scilicet regni cælorum, quem nobis largiatur Deus.**

CONCIO V.

DIES EXTREMI JUDICII CUR DIES MAGNA?

I. Quia magnus ibi conventus. — II. Quia de rebus magnis ibi tractatur. — III. Quia omnium dierum recapitulatio. — IV. Quia dies magni prælii et victoriae. — V. Quia finem imponet terrenis rebus. — VI. Quia initium æternitatis.

THEMA.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate. Luc. XXI.

Multas et varias appellationes sortitur in sacris Litteris extrema dies judicii. Vocatur enim dies Domini, dies illa, dies iræ, dies tribulationis et angustiarum, dies revelationis, dies restitutionis omnium, etc. Frequentior tamen est illa appellatio, qua vocatur dies magna. Sic enim appellatur a Jer. cap. XXX. a Joele c. II. a Sophonia c. II. a Malach. c. IV. a S. Juda in sua can. a Joanne, Apoc. c. VI. et XVI. Et fere jam usus obtinuit ut vulgo etiam dies illa vocetur dies magna: nec sine magnis rationibus, quas hic discutimus.

I. Primo. Quia maximus ibi erit conventus et maximorum principum. Primo enim Christus de cælo descendet cum potestate magna et majestate, ut inquit Evangelium hodiernum. Et confirmat Apostolus ad Tit. II. dicens: *Expectantes beatam spem adventum gloriæ magni Dei.* Primus Christi adventus fuit in forma parvuli vagientis, imbecillis, infasciati, inglorii; sed in secundo adventu aderit ut Deus magnus, cum virtute, potestate et majestate maxima. Omnia ei subjecta erunt, omnibus dominabitur, et omnium genua cælestium, terrestrium, et infernorum flecti ei debent, *Et omni lingua confitebitur, quia ipse est in gloria Dei Patris.*

Secundo. Aderunt omnes Angeli, Christum comitantes velut aulici et ministri ejus. Sic enim citur Matth. XXV. *Cum venerit Filius hominis*

in majestate sua, et omnes Angeli cum eo. Quanti isti principes? Quantus eorundem numerus? Quantas aeris regiones longe lateque implebunt? Et credendum est apparituros in splendidis corporibus, quo hæc Christi gloria et potentia videri possit ab impiis.

Tertio. Aderunt omnes electi in corporibus gloriosis, tanquam filii et amici ejus, juxta prophetiam Henoch, quam adducit S. Judas in Can. sua: *Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis; id est, innumeris, qui omnes una cum Christo judicabunt impios.* Quod expavescens S. August. in medit. c. IV. ait: *• Tot judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla, tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos dederunt justis actionibus. •*

Quarto. *Congregabuntur ante eum omnes gentes:* ait Matth. c. XXV. omnes nimirum, quotquot ab initio mundi usque ad finem toto orbe extiterunt. Nec solum aderunt omnes homines, sed etiam omnes Dæmones, et ipsi corporali specie (ut credimus) apparentes, quo videri queant. Magnum sane et mirabile spectaculum videre superne totum hemisphærium, innumeris legionibus angelorum et sanctorum circumfusum usque ad cælum; inferne vero infinitam damnatorum multitudinem humi strattam, et superficiem terræ longe lateque occupantem, gementem, ululantem; in medio vero utriusque agminis Christum judicem. Annon hic magnus dies? Quis vidit aliquando tale concilium aut comitia? *Magnus ergo hic dies Jezrahel;* id est, seminis Dei, Ose. I. Nimirum Christus discernet semen suum a semine Diaboli. Quemadmodum in amphitheatro per gyrum supra sedent innumeri spectatores, infra vero in area damnati ad bestias, expectantes earundem in se irruptionem: ita ibi spectatores erunt sancti omnes in aeris spatio amplissimo circumsedentes, in terra vero damnandi ad infernum inter bestias diabolicas positi.

II. Quia de re omnium maxima ibi decernetur. Neque enim agitur de statu unius imperii vel aliquot regnorum, sed de summa rerum totius mundi, de summo et æterno malo, de fortunis omnibus, et denique, quem statum unusquisque sortiri, et in omnem æternitatem retinere debeat. Tunc, enim, *Ubi cumque ceciderit lignum, sive ad Austrum sive ad Aquilonem, ibi erit,* Ecclesiastis XI. Auster, ventus calidus, requiem paradisi: Aquilo vero frigidus, inferni supplicium notat. Leontius in vita S. Joannis Eleemos. capit. XXVI. episcopi Alexandrini, scribit Troilo episcopo ostensam aliquando per somnium fuisse

domum amplissimam cum hac epigraphe: *Mansio aeterna et requies Troili episcopi*; eo quod XXX. libras argenti pauperibus distribuisset. Verum quia facti operis penitens, pecuniam recepit a Joanne episcopo, vidit mox in alio somnio cubicularium quemdam, qui jussit amoveri titulum illum, ejusque loco reponi hunc: *Mansio aeterna et requies Joannis archiepiscopi Alexandriae, empta libris triginta*. Quod hic in somnio vidit, fiet in die illa. Distribuentur enim unicuique nostrum suae mansiones aeternum habitandae. Similiter decerneretur de cujusque gloria vel ignominia, laetitia vel tristitia, deliciis vel doloribus, vita vel morte, denique de bonorum vel malorum omnium summa. Unde qui lucratur ibi, omnia lucratur; qui ibi perdit, omnia perdit, uti docet Christi parabola de magno debitore, quem jussit Dominus venumdari et uxorem et filios ejus et omnia quae habebat, Matth. VIII. Diem hunc perditionis suae et jacturae honorum omnium praesensit adhuc vivens Henricus VIII. Angliae rex, schismatis Anglicani auctor et fax. Cum enim post expulsa et eversa templa, ad pauperiem redactus esset, corporeque totus intumuisset, ut Bacchus quidam videretur, moriturus pateram vini praebens astantibus: *Omnia, inquit, perdidimus, amici*; atque ita desperabundus animam evomit, ut refert, Nic. Sanderus in schism. Anglic. et alii. Omnia vero perdidit, quia fidem, opes, famam, vitam, salutem. Sic loquentur etiam damnati.

III. Quia dies illa omnium praeteritorum saeculorum dies comprehendet, eritque omnium dierum, qui per omnia fuere saecula, anacephalaosis et recapitulatio, in eoque veluti in scena exhibebitur quidquid uspiam gestum est, imo et quod geri debebat per universum orbem ab exordio mundi usque ad finem. Itaque primo, mortalium acta omnia, et quae agere debebant velut in theatro proponuntur omnium oculis spectanda, quasi uno aspectu: secundo, a Christo examinabuntur, laudabuntur, vel vituperabuntur, eademque a tota caelesti curia approbabuntur et ab ipsis quoque damnatis rata habebuntur. Denique a Christo praemiabuntur prout meruerunt. Et tunc aperiet Dominus thesauros suos tam praemiorum quam suppliciorum, quos usque in illum diem sedulo corrogavit, eo tempore erogandos. De his enim ait per Moysen Deut. XXXII. *Nonne haec* (id est, gesta vestra) *condita sunt apud me et signata in thesauris meis?* Thesaurus est magna pecuniae copia clanculum vetustiore tempore reposita. Et talia sunt merita bonorum et malorum, eorumque merces in mente Dei deposita ab initio mundi, quae aperientur in die illa, et retribuentur unicuique. Unde S. Petrus Act. III.

vocat eum diem restitutionis omnium, dicens Christum debuisse in caelum suscipi *Usque in tempora restitutionis omnium*; quando videlicet omnia restituet quae in ejus sinum deposuit unusquisque, ubi omnes capilli capiti, id est, vel minima cogitationes numeratae sunt. Respexit fortasse Apostolus ad factum illius Raziae II. Macch. XIV. viri laudati a Scriptura, qui ut caeteros Judaeos animaret ad pugnandum pro patrii legibus contra impium Nicanorem, gladio seipsum percussit: *Et jam exanguis effectus, complexus intestina sua, utriusque manibus projecit super turbas, invocans dominatorem vitae ac spiritus, ut haec illi iterum redderet*, (in tempore scilicet novissimo) *atque ita vita functus est*. Ita tertius ille e septem fratribus Macchabaeis II. Macch. VII. cum linguam et manus abscindendas protulisset ait: *E caelo ista possideo, sed propter Dei leges nunc haec despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero*. Eadem ratio est malorum operum; nam, teste Apostolo ad Rom. II. *Secundum impenitentem cor tuum thesaurizas tibi iram in die irae*. Quoties peccatum admittis, toties aliquid in thesaurum irae reponis, ac licet parva sint peccata, cumulum tamen ingentem toties aucta faciunt. *Tu minutatim imponis*, ait S. August. contra adversarios legis et Prophet. cap. I. *sed postea cumulum invenies: noti attendere minuta peccata quotidiana, de minutissimis enim guttulis flumina implentur*. Sic ille.

IV. Quia dies erit maximi praelii et maximae victoriae. Sane etiam a Romanis dies magnus vocabatur, qui magnam dabat victoriam, teste Corn. Tacito in vita Agricolae. Descendet ergo in aciem contra peccatores Christus: sic enim per Joelem capit. III. ait: *Ecce in diebus illis et in tempore illo congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi*. Et mox: *Erumpite et venite omnes gentes de circuitu, et congregamini, ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos, etc.* Ecce tibi praeliorem et victorem Christum. Concordat locus, vallis Josaphat, hoc est, vallis concisionis: verum quibus armis Christus praeliabitur, non aliis nisi gladio oris sui ancipiti, quo exprobrabit impiis suam impietatem et ingratitude, ita ut nullatenus se queant excusare, aut contra gladium hunc ex omni parte scindentem defendere. Sedens enim in throno judicario supra montem Oliveti, et vallem Josaphat contra Jerusalem, dicit inter caetera: *Ecce in hoc, quo sedeo loco, pro vobis laboravi et passionem meam inchoavi*. Hic, hic inquam in Gethsemani pro vobis sanguinem sudavi, hic proditus et captus velut insignis quidam latro per torrentem Cedron tractus sum in hanc urbem, ubi iudicibus praesentatus et iniquissime condemnatus,

innumeris injuriis affectus sum, denique crucem bajulans in hac urbe circumductus, indeque ejectus in Calvariae montem, pro vobis crucifixus sum, nulla quidem necessitate compulsus, sed amore tantum salutis vestrae ductus. Ecce vobis locum illum, ubi nudus inter caelum et terram pendens, medius inter latrones memetipsum Patri pro vobis obtuli in victimam. Testis es tu, Pilate, testis Herodes, testis Caipha, testis Anna, testis Juda, testes Pontifices et Judaei, qui contra me clamastis: *Crucifige, crucifige*. Testes invoco caelum et terram: illud enim tunc obscuratum, haec vero aperta et fissa fuit, testes denique haec ipsae, quas videtis in meo corpore vulnere cicatrices. Ad haec postquam a mortuis surrexi, ex hoc monte Oliveti publice coram Apostolis aliisque plurimis meis discipulis in caelum ascendi, ut ostenderem de caelo me venisse vestrae salutis causa, ideoque peracto legationis meae munere regredi ad Patrem. Super haec omnia praedixi vobis hunc alterum meum adventum et iudicii diem in hoc ipso monte sedens, et docui longo sermone, qua ratione vigilare, adventum meum praestolari, mihi obviare deberetis: praedixerunt et Angeli, quando ad caelum ascendi, sic esse me venturum, praedixi etiam Caiphae, Pontificibus et Judaeis: *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli*. Cur igitur his tot tantisque testimoniis fidem non habuistis? Ecce nunc sors mea cum vestra commutata: iudices sedistis, steti ego reus; nunc rei vos, ego iudex. Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum; videte quae fodistis foramina in hoc corpore: haec clamant contra vos, haec accusant et condemnant vos. Ite ergo sacrilegi, ite deicidae cum Lucifero in ignem aeternum. Et vos, o infideles, o Turcae, o pravi Christiani, haec scivistis, vel scire potuistis, et debuistis, et tamen neglexistis, sprevistis meos labores, sudores, dolores: sanguinem testamenti pollutum duxistis, maluistis sequi vestras concupiscentias, quam me, meamque doctrinam et legem: delicias, opes, honores momentaneos aeternae salutis a me promissae praetulistis; gehennae incendia minitantes me contempsistis. Ecce nunc videtis quem contempseritis, nunc cernitis minas meas non fuisse vanas, sed veras; promissa mea non vana, sed certa: nunc cernitis vanas et fallaces fuisse vestras amasias, divitias, dignitates; nunc cernitis vos in earum amore fuisse stultos et insensatos; nunc gemitis et plangitis, nunc pectora funditis sed sero et frustra. Ite ergo improbi, ite ingrati, ite increduli, ite insensati, ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus a constitutione mundi. Vos vero, o Apostoli, qui me hoc in loco damnari, flagellari, cru-

cifigi, occidi vidistis, et tamen in me credidistis, me secuti estis usque ad mortem et crucem; vos pariter, o viri religiosi et apostolici, qui meam paupertatem, humilitatem, mundi contemptum, et crucem amplexi estis; qui meam fidem, doctrinam, religionem toto orbe propagastis; vos denique, o fideles, qui me Redemptorem vestrum credidistis, sperastis, coluistis, qui per omnia mea legi parauistis, qui christianam meque dignam vitam egistis, qui sobrie et pie et juste in hoc saeculo vixistis, expectantes beatam spem, et hunc meum adventum gloriae magni Dei: Venite, o dilecti et electi, venite, o benedicti Patris mei, possidete regnum caelorum vobis paratum ante saecula ab omni aeternitate. Et ibunt illi in ignem aeternum, justi autem in vitam aeternam.

V. Quia dies illa finem dabit orbi, tempori, scelere, merito, calamitatibus et querelis, ac postremo omnibus hominum studiis. Sic apud Romanos dicti sunt dies magni etiam illi, qui magnis et gravibus malis finem imponebant. Celebratur in lib. I. Macchab. capit. I. Alexander Magnus quod, obtentis omnium munitionibus et interfectis regibus, siluerit terra in conspectu ejus. Sed non duravit id silentium, nisi usque ad mortem ejus, brevi consecutam. At vero Princeps regum terrae Christus in die illo magno, cum interfecerit omnes impios, silentium universale et perpetuum imponet orbi terrae. Silebunt ibi caeli, quia sistent motum suum, unde cessabit vicissitudo diei et noctis, hiemis et aestatis, ortus et interitus, eritque semper eadem caeli et terrae facies, cessabit motus elementorum, ac proinde nubes, venti, pluvia, grandines, tempestates, terrae motus, etc. Silebunt animantia, quia nulla erunt, silebunt hominum studia, artes, disciplinae, vitia, cupiditates, lites, querelae, quia omnia quae in motu erant, terminum suum consequentur, et quae distorta erant, rectificabuntur. Atque ita tandem implebitur illud Patrisfamilias, Matt. XIII. *Sinile utraque crescere usque ad messem, et tunc dicam messoribus, etc.* Tunc enim falce iudicis omnia abscindentur, omnes querelae, omnes oppressiones, omnes inimicitiae, etc. Itaque si putas tibi tua negotia in hoc saeculo non expediri, expecta tempus messis; haec omnia aequabit, omnia expediet. Hoc est quod dixit Ecclesiastes cap. III. *Iustum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit*. Omnia opportuno tempore facienda sunt; qui enim seminare vult in aestate, et melere in hieme, nihil efficiet. Multa in mundo inordinata sunt, sed non est modo tempus ea ordinandi: in illo magno die erit tempus omnis rei, omniaque suis reponenda locis, et tunc silebit terra in conspectu Dei. In prima concione, quam fecit Christus in patria sua, vi-

detur mihi hoc ipsum quasi digito notasse; cum enim legisset locum Isaïæ de se scriptum: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem et cæcis visum, dimittere fractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum et diem retributionis.* Hic finit et plicuit librum; quasi denotans per hoc, in die retributionis velut ultima sua functione omnia claudenda, cælum involvendum velut librum, uti dixit post Isaïam S. Joannes Apocal. VI. involvendas lites, inimicitias et querelas, claudenda hominum studia, merita, demerita, etc.

VI. Quia initium magni illius diei, qui vocatur æternitas, finis temporis, ac proinde quasi horizon temporis et æternitatis, paradisi et inferni, electorum et damnatorum: constituens inter utrosque magnum et immensum chaos. De hac enim die scribit S. Petrus epist. II. capit. III. *Ipsi gloria et nunc et in diem æternitatis. Amen.* Cujus diei typum aliquem legimus in lib. Josue, cap. X. quando Josue, ut persequeretur hostes suos, stare fecit solem. Stetit enim sol et luna spatio unius diei, adeoque *Una dies facta est quasi duo:* teste Ecclesiastico capit. XLVI. donec ulcisceretur se de hostibus. Addit sacer textus: *Nec fuit antea, nec postea tam longa dies.* Quando ergo pugnabit Christus contra hostes suos, stare faciet solem et lunam, quoad ulciscatur se. Sed quia ultio illa æterna erit, æterna etiam dies erit, æquivalens duobus diebus, hoc est, tempori elapso et ævo consequenti. Porro sicut in die illo Josuano hemisphærium unum semper lucidum, alterum tenebrosum fuit, ita in die illo lux æterna erit ex parte electorum, æternæ vero tenebræ ex parte damnatorum; et sicut horizon distinguit hemisphærium diurnum a nocturno, ita dies illa electis lucem æternam, damnatis noctem feret æternam. Et quid putamus tempore Josue cogitasse homines illos, qui in opposito hemisphærio tam longam habuere noctem, quam longam alii diem? Quanta anxietate expectasse diem? Et quo nos animo essemus, si per mensem integrum perpetua nox foret? Quid si per annum? Quid si decem annis? Cogitate igitur nunc, quid erit nox æterna? Quod si huic æternæ nocti addamus æternum carcerem, æternam sitim et famem, æternum vermem, æternum fœtorem, æternum horrorem, æternum luctum, æternum ignem, et quidquid malorum cogitari potest: qualis illa nox erit? Et hæc sane est illa nox, cui maledicit Job. c. III. dicens: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus, sit nox illa solitaria, nec laude digna, etc.* Quare, auditores, ad diem illum magnum et æternum, oculum dirigamus et be-

ne collimemus, ne tenebrosus illum, sed lucidum inveniamus. Zeuxis celebris pictor, rogatus cur tam morose et exacte suas quaquaversum pingeret imagines, respondit: *Pingo æternitati.* Quare et nos quoque pingamus vitam nostram, quam possimus exactissime, quia pingimus æternitati. Nam si pingamus bene, pingemus luci æternæ: si pingamus male, pingemus nocti æternæ.

CONCIO VI.

MAJESTAS ET TERROR CHRISTI VENTURI AD JUDICIUM.

I. Judicis adventus terribilis.— II. Judicis agnitio.— III. Auctoritas.— IV. Rigoritas.— V. Æquitas.— VI. Perspicacia.— VII. Inflexibilitas.— VIII. Increpatio.— IX. Potestas et virtus.— X. Sententia et executio ejus.— XI. Judicis gloria.

THEMA.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna et majestate. Luc. XXI.

Rex commissurus prælium cum altero rege, mittit prius exploratores, ut indaget quam fortis sit adversarius. Quod si viderit eum duplo fortiorem, *Sedens prius cogitat, si possit ei occurrere; alioquin, illo adhuc longe agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt.* Ita fere Dominus Luc. XIV. Rex ille Christus judex est, processurus aliquando contra nos in prælium cum suis exercitibus, cum ad judicandum venerit. Quid igitur faciemus, auditores? Nonne prius sedebimus et sedulo cogitabimus, quam ratione ei possimus obviare? Sed quis nobis dicat, quibus armis, quanto robore, contra nos venturus sit, ut possimus ei obviare? Hoc dicet nobis Joannes, Apocal. I. Videamus.

I. Ait Joannes: *Ecce veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Itaque regius Christi judicis currus erit nubes: sed qualis illa putatis? Num qualis erat Israelitarum, quæ interdum protegebat eos ab æstu, noctu illuminabat, Ex od. XIII. Num qualis nubecula illa Eliæ, III. Reg. XVIII. afferens terræ pluviam? Minime vero: nam ut Rupertus in hunc locum ait: *Hujusmodi nubes non erunt quales nunc sæpe videmus pluvias roantes terramque refrigerantes, sed procellosæ, ignem spirantes, et fulmina jacentes juxta illud Psal. XLIX. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida.* Et ut dicitur, II. ad Thess. I. *Veniet in flamma ignis, ad vindictam iis, qui non noverunt eum.* Item Isa. LXVI. *Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus.* Sæpius certe in nube visus Dominus in transfiguratione, in apparitionibus quæ sanctis sunt factæ: ubi nubes illa salutem, pluviam et refrigerium attulit.

Quin etiam cum modo castigat, et quasi pompa bellica contra nos curru suo vehitur; cum

bello, fame, peste premit, bonis nubibus venit, ad salvandum venit, non ad perdendum. Unde Habac. III. nubes illæ salvatio appellatur: *Qui ascendes super equos tuos et quadrigæ tuæ salvatio.* Tunc autem quadriga illa quasi turbo erit, utpote maximo cum impetu omnia dejiciens, quemadmodum et Jer. XXIII. dicitur: *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur. Et quasi ignis omnia vastans* ut, dixit Daniel c. VII. *Rotæ ejus ignis accensus.* Qui vidit aliquando pompam bellicam, bombardas, currus, equos, armamenta, facile sibi imaginatur terrorem ipsius belli: quare, si talis est Judicis nostri currus, tamque horribilis, quis erit aspectus belli?

II. Apparebit in medio septem candelabrorum similis Filio hominis; quod indicat Christum Judicem fore manifestum, ita ut ab hominibus Deus agnoscat: neque erit disceptatio, utrum sit Elias, an Jeremias, an Joannes Baptista: neque dissimulanter aut obscure venit, uti venerat in primo adventu. At cur similis tantum, cur non ipse Filius hominis, uti appellabatur cum in terris degeret? Audi Joachimum abbatem super hunc locum: *Quia sicut in Christo aliquando divinitatis suæ gloriam occultabat humanitas, ita nunc humanitatis ejus abjectio exinanita a majestatis gloria et splendore summæ lucis absorpta esse videtur.* Itaque sicut prius adeo servilis apparuit, ut nihil in eo divinitatis apparet exteriorius, ita tunc adeo undique apparebit gloriosus et divinus, ut nihil servile vel humile de eo suspicari quis possit, quominus verus Dei Filius esse credatur. Jam nunc perpendatis velim: Si potentissimus Herodes eum perterritum in præsepio jacentem, tu non timebis in solio judicantem? Si vendentes et ementes in templo, flagello quod ipse fecerat de funiculis ejecti sunt, quis stabit coram eo scorpiones intentante et infligente ad ultimam usque internecionem? Si discipuli in monte Thabor præ gloria humanitatis conterriti ceciderunt quasi mortui, quis stabit coram divinitate absorbente quodammodo humanitatem? Si hostium turmam in horto Gethsemani unico dejecit verbo ita ut retro caderent, quid erit audire proferentem ultimam damnationis sententiam? Et quanto rubore suffundentur, qui eum vel Deum esse non crediderunt, ut Judæi et Gentiles: vel perperam crediderunt, ut hæretici: vel non honorificaverunt in quem crediderunt, ut mali Christiani? Vide nunc, Herodes, eum sapientissimum, quem tu veste ignominiosa indutum ut dæmonem illusisti: vide eum, Caipha, venientem in nubibus cæli, sicut tibi prædixerat, quem tu tamen ideo blasphemum dicebas: vide eum, Pilate, quem tu populo spectandum proposuisti, imo voluntati eorum

tradidisti. Videte nunc, Judæi, num Rex sit vester, quem negastis. Videte eum omnes scelerati, quidixistis, Luc. XIX. *Nolumus hunc regnare super nos; videte, inquam, regnantem et judicantem vos.*

III. Vestitus podere, id est, tunica talari, quæ byssina, undique plena oculis et sacerdotum propria, indicatque plenariam Christi judicis potestatem et oculatissimam perspicaciam. De multis sceleribus non judicat potestas sæcularis, judicat Ecclesia; de internis etiam non judicat Ecclesia, judicat confessarius; plurima confessario occultantur, et judicat ea Deus: ad hujus jurisdictionem omnia pertinent, nec ullus ab eo appellare potest, vel judicium ejus subterfugere. Proverbio dicitur: *An nescis longas regibus esse manus?* Sed non ita longæ sunt illæ, quin scelerati aliqui eas effugere possint; unde in finibus regnorum plurima scelera impune fiunt. Non ita in regno Christi, quia *Dominus judicabit fines terræ,* I. Reg. II. *et in manu ejus fines terræ,* Psal. XLIX. Habet etiam manus longissimas. Jer. XLIX. *Cum exallaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Et Job. XX. *Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Domini.* Id est, aperta erit intentio conscientiæ impij (ut exponit ibi Hugo card. et gl.) et detegatur radix scelerum quam hic occultabat. Facile decipiuntur confessarii et iudices, ut vel non puniant aliquos, vel non sufficienter: quia hi de internis non judicant, illi conscientibus credere debent. Unde fit, ut intentio sæpe taceatur et impunita maneat: non ita coram Juce illo, qui non tam factum respicit, quam intentionem ponderat. Unde recte podere induitur, quæ instar scutulatæ alicujus vestis, oculis undique depicta erat, ut probant Hebræi Exod. XXVIII. ubi pro verbo, *Stringes tunicam bysso;* habetur in Hebr. *Oculabis tunicam.* Quod oculus non videt, vident multi oculi. Quot igitur circumstantiæ scelerum tuorum, tot super eas oculi in Christo iudice. Videant ergo illi, qui hæc peccata sua confessario tegunt: incident enim aliquando in occultatissimum illum confessarium, cui tegere nil poterunt.

IV. Præinctus ad mammillas zona aurea. Mammillæ ut explicat D. Bern. serm. IX. in Cant. sunt gemina dulcedo quæ exuberat in Christi pectore: scilicet, longanimitas in expectando, et facilitas in donando, juxta id Ps. CII. *Longanimis et multum misericors.* Uti autem ubera matrem admonent amoris ad nutriendum fœtum, ita Christum sua illa, quibus lactamur vel lactari saltem possumus dum vivimus. Quis nescit quam facile condonarit latroni in cruce? Quam diu expectarit Judæos? Id quotidie etiam nobis facit. Sed erit tempus, tempus, inquam, judicij,